

verso passionis inferioris partis in nullo impediebant actum rationis.

## ARTICULUS X. 99

Utrum Christus simul fuerit viator, & comprehensor.

III. dist. XIV. art. 2. & dist. XVIII. art. 11. & ver. quest. XXVI. art. 10. & quest. XXIX. art. 6. & quodl. 1. quest. 11. art. 11. car. & op. 2. cap. CCXXXVIII. & opusc. XVIII. cap. IV.

**A**D decimum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit simul viator, & comprehensor. Viatori enim competit moveri ad finem beatitudinis, comprehensori autem competit in fine quiescere. Sed non potest eundem simul convenire quod moveatur ad finem, & quod quiescat in fine. Ergo non potuit simul esse quod Christus esset viator, & comprehensor.

2. Præterea. Moveri ad beatitudinem, aut eam obtinere, non competit homini secundum corpus, sed secundum animam: unde Augustinus dicit in epistola ad Dioscorum (cxviii. ad lvi. parum ante med.) quod ad inferiorem naturam, quæ est corpus, redunt ab animæ, non beatitudo quæ propria est fruentis, & intelligentis, sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor. Sed Christus licet haberet corpus passibile, tamen secundum mentem plene Deo fruebatur. Non igitur Christus fuit viator, sed purus comprehensor.

3. Præterea. Sancti, quorum animæ sunt in celo, & corpora in sepulchris, fruuntur quidem beatitudine secundum animam, quamvis eorum corpora morti subjaceant; tamen non dicuntur viatores, sed solum comprehensores. Ergo pari ratione licet corpus Christi fuerit mortale, quia tamen mens ejus Deo fruebatur, videtur quod fuerit purus comprehensor, & nullo modo viator.

Sed contra est quod dicitur Hierem. xiv. 8. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?

Respondeo dicendum, quod aliquis dicitur viator eo quod tendit in beatitudinem; comprehensor autem dicitur ex hoc quod jam beatitudinem obtinet, secundum illud I. Corin. ix. 24. Sic currite ut comprehendatis: & Philipp. 1. 12. Sequor autem, si quo modo comprehendam. Hominis autem beatitudo perfecta consistit in anima, & corpore, ut in secunda parte habitum est (1. 2. quest. 1v. art. 6.) In anima quidem quantum ad id quod est ei proprium; secundum quod mens videt, & fruatur Deo; in corpore vero, secundum quod corpus resurget spirituale, & in virtute, & in gloria, & in incor-

ruptione, ut dicitur I. Corin. xv. Christus autem ante passionem secundum mentem plene videbat Deum; & sic habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animæ; sed quantum ad illa deerat ei beatitudo, quia & anima ejus erat passibilis, & corpus passibile, & mortale, ut ex supradictis patet (art. 4. huius quest. & quest. xiv. art. 1. & 2.) Et ideo simul erat comprehensor, in quantum habebat beatitudinem propriam animæ, & simul viator, in quantum tendebat in beatitudinem secundum id quod ei de beatitudine deerat.

Ad primum ergo dicendum, quod impossibile est moveri ad finem, & quiescere in fine secundum idem; sed secundum diversa nihil hoc prohibet: sicut aliquis homo simul est sciens quantum ad ea quæ jam novit, & addiscens quantum ad ea quæ nondum novit.

Ad secundum dicendum, quod beatitudo principaliter, & proprie consistit in anima secundum mentem; secundario tamen, & quasi instrumentaliter requiruntur ad beatitudinem corporis bona; sicut etiam Philosophus dicit in I. Ethic. (cap. viii. circ. fin.) quod exteriora bona organicè deserviunt beatitudini.

Ad tertium dicendum, quod non est eadem ratio de amabibus Sanctorum, & de Christo, propter duo: primo quidem quia animæ Sanctorum non sunt passibiles, sicut fuit anima Christi; secundo quia corpora non agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant, sicut Christus secundum corporis passionem in beatitudinem tendebat quantum ad gloriam corporis.

## QUÆSTIO XVI.

De consequentibus unionem, quantum ad ea quæ conveniunt Christo secundum esse, & fieri.

In duodecim articulis divisæ.

**D**Einde considerandum est de his quæ consequuntur unionem: & primo quantum ad ea quæ conveniunt Christo secundum esse; secundo de his quæ conveniunt Christo per comparisonem ad Deum Patrem; tertio de his quæ conveniunt Christo per comparisonem ad nos.

Circa primum duplex consideratio occurrit. Prima quidem de his quæ conveniunt Christo secundo esse, & fieri; secunda de his quæ conveniunt Christo secundum rationem unitatis.

Circa primum quaruntur duodecim.

Primo, utrum hæc sit vera, Deus est homo. Secundo, utrum hæc sit vera, homo est Deus.

Tertio, utrum Christus possit dici homo dominicus.

Quarto,

Quarto, utrum ea quæ conveniunt Filio hominibus, possint prædicari de Filio Dei, & e contrario.

Quinto, utrum ea quæ conveniunt Filio hominibus, possint prædicari de divina natura, & de humana ea quæ conveniunt Filio Dei.

Sexto, utrum hæc sit vera, Filius Dei factus est homo.

Septimo, utrum hæc sit vera, Homo factus est Deus.

Octavo, utrum hæc sit vera, Christus est creatura.

Nono, Utrum hæc sit vera: *Isse homo, demonstrato Christo, inceptus esse, vel fuit semper.*

Decimo, utrum hæc sit vera: *Christus, secundum quod homo, est creatura.*

Undecimo, utrum hæc sit vera, *Christus, secundum quod homo, est Deus.*

Duodecimo, utrum hæc sit vera: *Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.*

## ARTICULUS I. 100

Utrum hæc sit vera, Deus est homo.

III. dist. vii. quest. 1. art. 1. & un. art. 4. cor. 1.

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa, *Deus est homo.* Omnis enim propositio affirmativa in materia remota est falsa. Sed hæc propositio, *Deus est homo*, est in materia remota, quia formæ significatæ per subiectum, & prædicatum sunt maxime distantes. Cum ergo propositio prædicta sit affirmativa, videtur quod sit falsa.

2. Præterea. Magis conveniunt tres personæ divinæ ad invicem, quam humana natura, & divina. Sed in mysterio Trinitatis una persona non prædicatur de alia: non enim dicimus, quod Pater est Filius, vel e converso. Ergo videtur quod nec humana natura possit prædicari de Deo, ut dicatur quod Deus est homo.

3. Præterea. Athanasius dicit (in symb. fid.) quod sicut anima, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Sed hæc est falsa: *Anima est corpus.* Ergo etiam hæc est falsa, *Deus est homo.*

4. Præterea. Sicut in prima parte habitum est (quest. xxxix. art. 3.) quod prædicatur de Deo non relative, sed absolute, convenit toti Trinitati, & singulis personis. Sed hoc nomen homo non est relativum, sed absolutum. Si ergo vero prædicatur de Deo, sequeretur quod tota Trinitas, & quælibet persona sit homo: quod patet esse falsum.

Sed contra est quod dicitur Philipp. 1. 6. *Qui cum in forma Dei esset... exinanivit semetipsum, formam serviti accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitum ignotatus ut homo;*

& sic ille qui est in forma Dei, est homo. Sed ille qui est in forma Dei, est Deus. Ergo Deus est homo.

Respondeo dicendum, quod ista propositio, *Deus est homo*, ab omnibus Christianis conceditur, non tamen ab omnibus secundum eandem rationem.

Quidam enim hanc propositionem concedunt, non secundum propriam acceptionem horum terminorum. Nam Manichæi Verbum Dei dicunt esse hominem, non quidem verum, sed similitudinatum, in quantum dicitur, sed similitudinatum, in quantum dicitur, Filium Dei corpus phantasticum assumpsisse; ut sic dicatur Deus homo, sicut cuprum figuratum dicitur homo, quia habet similitudinem hominis. Similiter etiam illi qui posuerunt, quod in Christo anima, & corpus non fuerunt unita, non possunt dicere, quod Deus sit verus homo, sed quod dicatur homo figurative ratione partium. Sed utraque harum opinionum supra improbatæ est (quest. 11. art. 5. & 6. & quest. v. art. 1. & 2.)

Alii vero e converso ponunt veritatem ex parte hominis, sed negant veritatem ex parte Dei. Dicunt enim, Christum, qui est Deus, & homo, esse Deum non naturaliter, sed participative, scilicet per gratiam; sicut & omnes sancti viri dicuntur Dei; excellentius tamen Christus præ aliis, propter gratiam abundantiore. Et secundum hoc cum dicitur, *Deus est homo*, ly *Deus* non supponit verum & naturalem Deum. Et hæc est hæres Photini, quæ supra improbatæ est (quest. 11. art. 6.)

Alii vero concedunt hanc propositionem cum veritate utriusque termini; ponentes Christum, & verum Deum esse, & verum hominem; sed tamen veritatem prædicationis non salvant. Dicunt enim, quod homo prædicatur de Deo per quamdam conjunctionem vel dignitatis, vel auctoritatis, vel etiam affectionis, aut inhabitationis. Et sic posuit Nestorius, Deum hominem esse; ut per hoc nihil aliud significetur quam quod Deus est homini conjunctus tali conjunctione, quod homo inhabitetur a Deo & uniatu ei secundum affectionem, & secundum participationem auctoritatis, & honoris divini. Et in similem errorem incidunt quicumque ponunt duas hypostasies, vel duo supposita in Christo: quia non est possibile intelligi, quod duorum quæ sunt secundum suppositum, vel hypostasim distincta, unum proprie prædicetur de alio, sed solum secundum quamdam figurativam locutionem, in quantum in aliquo conjunguntur; puta si dicamus, Petrum esse Joannem, quia habent aliquam conjunctionem ad invicem. Et hæc etiam opiniones supra improbatæ sunt (quest. 11. art. 6.)

Unde supponendo secundum veritatem catholicæ fidei, quod vera natura divina unita est cum vera natura humana, non solum in persona,

## ARTICULUS IV. 103

*Utrum ea quæ conveniunt filio hominis, possint predicari de Filio Dei, & à seipso converso.*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur quod ea quæ sunt humanæ naturæ, non possint dici de Deo. Impossibile enim est opposita de eodem predicari. Sed ea quæ sunt humanæ naturæ, sunt contraria his, quæ sunt propria Dei: Deus enim est increatus, immutabilis, & æternus; ad humanam autem naturam pertinet ut sit creata, temporalis, & mutabilis. Ergo ea quæ sunt humanæ naturæ, non possunt dici de Deo.

2. Præterea. Attribueretur Deo ea quæ ad defectum pertinent, videtur detragere divino honori, & ad blasphemiam pertinere. Sed ea quæ sunt humanæ naturæ, defectum quemdam continent, sicut pati, mori, & alia hujusmodi. Ergo videtur quod nullo modo ea quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de Deo.

3. Præterea. Assumi convenit humanæ naturæ; non autem hoc convenit Deo. Non ergo ea quæ sunt humanæ naturæ, de Deo dici possunt.

Sed contra est quod Damascenus dicit in III. lib. (orth. Fid. cap. IV. & VI. in med.) quod Deus suscepit ea quæ sunt carnis idiomatica, id est proprietates dum Deus passibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus est.

Respondendo dicendum, quod circa hanc questionem diversitas fuit inter Nestorianos, & Catholicos. Nestoriani enim voces quæ dicuntur de Christo, dividere volebant hoc modo, ut ea quæ pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo, nec ea quæ pertinent ad divinam naturam, dicerentur de homine. Unde Nestorius dixit: *Si quis Dei Verbo tentat passionem tribuere, anathema sit.* Si quæ vero nomina sunt quæ pertinere possunt ad utramque naturam, de talibus prædicabant ea quæ sunt utriusque naturæ, sicut hoc nomen *Christus*, vel *Dominus*. Unde concedebant, Christum esse naturam de Virgine, & fuisse ab æterno; non tamen dicebant, vel Deum naturam de Virgine, vel hominem ab æterno fuisse. Catholici vero postulerunt, hujusmodi quæ dicuntur de Christo sive secundum divinam naturam, sive secundum humanam, dici posse tam de Deo, quam de homine. Unde Cyrillus dicit: (in epist. ad Nestor. de Excom. can. IV. & hab. in Conc. Ephes. Gener. III. p. 1. cap. XXVI.) *Si quis diaboli personis, sive hypostasibus, eas quæ in Evangelicis, & Apostolicis Conscriptiōibus sunt, dividit voces, vel ea quæ de*

(a) Ita mss. & editi passim. In cod. Alcan. desit. prædicatum.

*Christo à Sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo, de semetipso, & aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas vero sibi Verbo deputaverit; anathema sit.*

Et hujus ratio est, quia cum sit eadem hypostasis utriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ. Sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinæ, & humanæ naturæ. Er ideo de homine possunt dici ea quæ sunt divinæ naturæ, tamquam de hypostasi divinæ naturæ; & de Deo possunt dici ea quæ sunt humanæ naturæ, tamquam de hypostasi humanæ naturæ.

Sciendum tamen, quod in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solum attenditur quid sit illud de quo prædicatur (a) prædicatum, sed etiam secundum quid de illo prædicatur. Quamvis ergo non distinguatur ea quæ prædicantur de Christo, distinguuntur tamen secundum id secundum quod utrumque prædicatur: nam ea quæ sunt divinæ naturæ, prædicantur de Christo secundum divinam naturam; ea autem quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundum humanam naturam. Unde Augustinus dicit in I. de Trinit. (cap. XI.) *Distinguiamus quid in Scripturis sonet secundum formam Dei, in qua equalis est Patri, & quid secundum formam servi quam accepit, in qua minor est Patri: & infra (cap. XII.) Quid propter quid, & quid secundum quid dicatur prudens, & diligens, & pius lector intelligit.*

Ad primum ergo dicendum, quod opposita prædicari de eodem secundum idem est impossibile; sed secundum diversa nihil prohibet: & hoc modo opposita prædicantur de Christo non secundum idem, sed secundum diversas naturas.

Ad secundum dicendum, quod si ea quæ ad defectum pertinent, Deo attribuerentur secundum divinam naturam, esset blasphemia, quasi pertiēns ad diminutionem honoris ipsius; non autem pertinet ad Dei injuriam, si attribuantur ei secundum naturam assumptam. Unde in quodam sermone Ephesini Concilii (qui est II. de Nativ. aliquant. à princ. eo Conc. part. III. cap. X.) dicitur: *Nihil putat Deus injuriam quod est occasio salutis hominibus. Nihil enim abjectorum, que elegit propter nos, injuriam facit illi naturæ que non potest esse subiecta injuriis; propria vero facit inferiora, ut salvet naturam nostram. Quando ergo que abjecta, & vilia sunt, divinam naturam non injuriantur, sed salutem hominibus operantur; quemodo dicis, ea que causa nostra salutis sunt, injuria occasione Deo fuisse?*

Ad tertium dicendum, quod assumi convenit humanæ naturæ, non ratione suppositi, sed ratione sui ipsius: & ideo non convenit Deo.

AR-

## ARTICULUS V. 104

*Utrum ea quæ conveniunt filio hominis, possint predicari de divina natura, & de humana ea quæ conveniunt Filio Dei.*

**A**D quintum sic proceditur. Videtur quod ea quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de natura divina. Ea enim quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de Filio Dei, & de Deo. Sed Deus est sua natura. Ergo ea quæ sunt naturæ humanæ, possunt predicari de divina natura.

2. Præterea. Caro pertinet ad naturam humanam. Sed, sicut dicit Damascenus in III. lib. (orth. Fid. cap. VI. circ. fin. & cap. VII. à med.) *Dicimus, naturam Verbi incarnatam esse, secundum Beatos Athanasium, & Cyrillum.* Ergo videtur quod pari ratione ea quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de divina natura.

3. Præterea. Ea quæ sunt divinæ naturæ, conveniunt humanæ naturæ in Christo, sicut cognoscere futura, & habere salutiferam virtutem. Ergo videtur quod pari ratione ea quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de divina natura.

Sed contra est quod Damascenus dicit in III. lib. (orth. Fid. cap. IV. circ. med.) *Deitatem quædem dicentes non nominamus de ea que humanitatis idiomatica sunt, id est proprietates: non enim dicimus Deitatem passibilem, vel creabilem.* Deitas autem est divina natura. Ergo ea quæ sunt humanæ naturæ propria, non possunt dici de divina natura.

Respondendo dicendum, quod ea quæ sunt propria unius, non possunt verè de alio prædicari, nisi de eo quod est idem illi; sicut risibile non convenit nisi ei quod est homo. In Mysterio autem Incarnationis non est eadem natura divina, & humana; sed eadem est hypostasis utriusque naturæ. Er ideo ea quæ sunt unius naturæ, non possunt de alia prædicari, secundum quod in abstracto significantur.

Nomina vero concreta supponunt hypostasim naturæ: & ideo indifferenter prædicari possunt ea quæ ad utramque naturam pertinent, de nominibus concretis: sive illud nomen de quo dicuntur, det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen *Christus*, in quo intelligitur, & divinitas ungens, & humanitas uncta; sive solum divinam naturam, sicut hoc nomen *Deus*, vel *Filius Dei*; sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen *homo*, vel *Jesus*. Unde Leo Papa dicit in epistola ad Palæstinus (LXXXIII. inter med. & fin.) *Non interest, ex qua Christus substantia nominetur, cum inseparabiliter manserit unitate personæ, idem sit & totus hominis filius propter carnem, &*

S. Thom. Op. Tom. V.

*totus Dei filius propter unam cum Patre Deitatem.*

Ad primum ergo dicendum, quod in divinis realiter est idem persona cum natura; & ratione hujus identitatis divina natura predicatur de Filio Dei; non tamen est idem modus significandi; & ideo quædam dicuntur de Filio Dei quæ non dicuntur de divina natura; sicut dicimus, quod Filius Dei est genitus; non tamen dicimus, quod natura divina sit genita, ut in prima parte habitum est (quæst. XXXIX. art. 5.) Er similiter in Mysterio Incarnationis dicimus, quod Filius Dei passus est; non autem dicimus, quod divina natura sit passiva.

Ad secundum dicendum, quod Incarnatio magis importat unionem ad carnem quam carnis proprietatem. Utraque autem natura in Christo est unita alteri in persona; ratione cuius unionis, & divina natura dicitur incarnata, & humana natura deificata, ut supra dictum est (quæst. III. art. 2.)

Ad tertium dicendum, quod ea quæ sunt divinæ naturæ, dicuntur de humana natura, non secundum quod essentialiter competunt divinæ naturæ, sed secundum quod participative derivantur ad humanam naturam: unde ea quæ participari non possunt à natura humana (sicut esse increatum, aut omnipotentem) nullo modo de humana natura dicuntur. Divina autem natura nihil participative recipit ab humana natura: & ideo ea quæ sunt humanæ naturæ, nullo modo possunt dici de divina natura.

## ARTICULUS VI. 105

*Utrum hæc sit vera, Deus factus est homo.*

*Inf. quæst. XXXIII. art. 3. c. & III. dist. III. quæst. V. art. 3. corp. & dist. VII. quæst. III. & episc. I. cap. XVII. & opusc. III. cap. VI. & Rom. I. lect. 2.*

**A**D sextum sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa: *Deus factus est homo.* Cum enim homo significet substantiam, fieri hominem est fieri simpliciter. Sed hæc est falsa, *Deus factus est simpliciter.* Ergo hæc est falsa, *Deus factus est homo.*

2. Præterea. Fieri hominem est mutari. Sed Deus non potest esse subiectum mutationis, secundum illud Malach. III. 6. *Ego Dominus, & non mutator.* Ergo videtur quod hæc sit falsa, *Deus factus est homo.*

3. Præterea. Homo, secundum quod de Christo dicitur, supponit personam Filii Dei. Sed hæc est falsa: *Deus factus est persona Filii Dei.* Ergo hæc est falsa: *Deus factus est homo.*

N 2

Sed

sona, sed etiam in supposito, vel hypostasi, dicimus hanc propositionem esse veram, & propriam, *Deus est homo*, non solum propter veritatem terminorum, (quia scilicet Christus est verus Deus, & verus homo,) sed etiam propter veritatem prædicationis. Nomen enim significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi; sicut hoc nomen *homo* potest supponere pro quolibet homine singulari. Et ita hoc nomen *Deus* ex ipso modo sue significationis potest supponere pro persona Filii Dei, ut etiam in prima parte habitum est (quæst. xxxix. art. 4.) De quolibet autem supposito alicujus naturæ potest vere, & proprie prædicari nomen significans illam naturam in concreto; sicut de Socrate, & Platone proprie, & vere prædicatur *homo*. Quia ergo persona Filii Dei, pro qua supponit hoc nomen *Deus*, est suppositum naturæ humanæ, vere, & proprie hoc nomen *homo* potest prædicari de hoc nomine *Deus*, secundum quod supponit pro persona Filii Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod quando formæ diversæ non possunt convenire in unum suppositum; tunc oportet quod propositio sit in materia remota; cujus subiectum significat unam illarum formarum, & prædicatum aliam; sed quando duæ formæ possunt convenire in unum suppositum; non est materia remota, sed naturalis, vel contingens; sicut cum dico, *albus est musicum*. Natura autem divina, & humana, quamvis sint maxime distantes, tamen conveniunt per incarnationis mysterium in uno supposito, cui neutra illarum inest per accidens; sed per se. Et ideo hæc propositio, *Deus est homo*, non est neque in materia remota, neque in materia contingenti, sed in materia naturali; & prædicatur homo de Deo, non per accidens, sed per se, sicut pecies de sua hypostasi, non quidem ratione formæ significatæ per hoc nomen *Deus*; sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanæ naturæ.

Ad secundum dicendum, quod tres personæ divinæ conveniunt in natura; distinguuntur tamen in supposito: & ideo non prædicantur de invicem. In mysterio autem incarnationis naturæ quidem, quia distinctæ sunt, de invicem non prædicantur, secundum quod significantur in abstracto (non enim natura divina est humana;) sed quia conveniunt in supposito, prædicantur de se invicem in concreto.

Ad tertium dicendum, quod anima, & caro significantur ut in abstracto, sicut divinitas, & humanitas; in concreto vero dicuntur *animatum*, & *carneum*; sive *corporeum*; sicut & ex alia parte *Deus*; & *homo*. Unde utrobique abstractum non prædicatur de abstracto, sed solum concretum de concreto.

Ad quartum dicendum, quod hoc nomen *homo* prædicatur de Deo ratione unionis in persona; quæ quidem unio relationem importat; & ideo non sequitur regulam eorum nominum quæ absolute prædicantur de Deo ab æterno.

## ARTICULUS II. 101

*Utrum hæc sit vera, Homo est Deus.*

*Loci sup. art. 1. induit.*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa, *Homo est Deus*. Deus enim est nomen incommunicabile: unde Sap. xlii. & xiv. reprehenduntur idololatræ de hoc quod hoc nomen *Deus*, quod est incommunicabile, lignis, & lapidibus imposuerunt. Ergo pari ratione videtur esse inconveniens quod hoc nomen *Deus* prædicetur de homine.

2. Præterea. Quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto. Sed hæc est veritas, *Deus est Pater*, vel *Deus est Trinitas*. Si ergo hæc sit vera, *Homo est Deus*, videtur quod hæc etiam sit vera, *Homo est Pater*, vel *Homo est Trinitas*: quas quidem patet esse falsas. Ergo & primam.

3. Præterea. In Pl. lxxx. 9. dicitur: *Non erit in te Deus recens*. Sed homo est quiddam recens: non enim Christus temper fuit homo. Ergo hæc est falsa, *Homo est Deus*.

Sed contra est quod dicitur Rom. ix. 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui super omnia Deus benedictus in sæcula*. Sed Christus secundum carnem est homo. Ergo hæc est vera, *Homo est Deus*.

Respondeo dicendum, quod supposita veritate utriusque naturæ, divinæ scilicet, & humanæ, & unione in persona, & hypostasi, hæc est vera, & propria, *Homo est Deus*, sicut & ista, *Deus est Homo*. Hoc enim nomen *homo* potest supponere pro quolibet hypostasi humanæ naturæ; & ita potest supponere pro persona Filii Dei, quam dicimus esse hypostasim humanæ naturæ. Manifestum est autem quod persona Filii Dei vere, & proprie prædicatur hoc nomen *Deus*, ut in prima parte habitum est (quæst. xxxix. art. 3. & 4.) Unde relinquatur quod hæc sit vera, & propria, *Homo est Deus*.

Ad primum ergo dicendum, quod idololatræ attribuebant nomen Deltatis lapidibus, & lignis, secundum quod in sua natura considerantur, quia putabant in illis aliquid numinis esse. Nos autem non attribuisimus nomen Deltatis Christo homini secundum humanam naturam; sed secundum suppositum æternum, quod est etiam per unionem suppositum humanæ naturæ, ut dictum est (in cor. ar.)

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen *Pater* prædicatur de hoc nomine *Deus*, secundum quod

quod hoc nomen *Deus* supponit pro persona Patris. Sic autem non prædicatur de persona Filii, quia persona Filii non est persona Patris; & per consequens non oportet quod hoc nomen *Pater* prædicetur de hoc nomine *homo*, de quo prædicatur hoc nomen *Deus*, in quantum ly *homo* supponit pro persona Filii.

Ad tertium dicendum, quod licet humana natura in Christo sit quiddam recens, tamen suppositum humanæ naturæ non est recens, sed æternum. Et quia hoc nomen *Deus* non prædicatur de homine ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi, non sequitur quod ponamus Deum recentem; sequeretur autem, si poneremus quod homo supponit suppositum creatum, secundum quod oportet dicere eos qui in Christo ponunt duo supposita.

## ARTICULUS III. 102

*Utrum Christus possit dici homo dominicus.*

*III. dist. vii. quæst. 1. art. 2.*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur quod Christus possit dici *homo dominicus*. Dicit enim Augustinus in lib. lxxxiii. Q. q. (quæst. xxxvi. circ. med.) *Mendandum est ut illa bona exspectentur que fuerunt in illo homine dominico*, loquitur autem de Christo. Ergo videtur quod Christus sit homo dominicus.

2. Præterea. Sicut dominium convenit Christo ratione divinæ naturæ, ita etiam humanitas pertinet ad humanam naturam. Sed Deus dicitur *humanatus*, ut patet per Damascenum in III. lib. (orth. Fid. cap. 11. ante med.) ubi dicit, quod *humanatio tam que ad hominem copulationem demonstrat*. Ergo pari ratione potest dici denominative, quod homo ille sit dominicus.

3. Præterea. Sicut dominicus denominative dicitur a domino ita divinus denominative dicitur a Deo. Sed Dionysius (cap. 1v. Ecclesiæ Hierarch. ante med.) Christum nominat *divinissimum Jesum*. Ergo pari ratione potest dici, quod Christus sit homo dominicus.

Sed contra est quod Augustinus dicit in lib. I. Retract. (cap. xix. ad fin.) *Non video, utrum recte dicatur homo dominicus Jesus Christus, cum sit unus Dominus*.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. præc. ad 3.) cum dicitur homo Christus Jesus; designatur suppositum æternum, quod est persona Filii Dei, propter hoc quod est unum suppositum utriusque naturæ. De persona autem Filii Dei prædicatur *Deus*; & *Dominus* essentialiter: & ideo non debet prædicari denominative, quia hoc derogat veritati unionis. Unde cum *dominicus* di-

*St. Thom. Op. Tom. V.*

catur denominative a Domino, non potest vere; & proprie dici; quod homo ille sit dominicus, sed magis quod sit Dominus. Si autem per hoc quod dicitur, Homo Christus Jesus, designaretur suppositum aliquod creatum, secundum illos qui ponunt in Christo duo supposita, posset dici homo ille dominicus, in quantum assumitur in participationem honoris divini, sicut Nestoriani posuerunt. Et hoc etiam modo humana natura non dicitur essentialiter *dea*, sed *deificata*, non quidem per conversionem ipsius in divinam naturam; sed per conjunctionem ad divinam naturam in una hypostasi, ut patet per Damascenum in III. lib. (orth. Fid. cap. xi. & xvii.)

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus verba illa, & similia retractat in lib. I. Retract. (cap. xix. ad fin.) unde post verba præmissa in I. lib. Retract. (ibid.) subdit *Ubiunque hoc dixi, scilicet quod Christus Jesus sit homo dominicus, dixisse me autem: posset quippe videri non esse dicendum: quoniam nominum ratione posset defendi: quia scilicet posset aliquis dicere, quod dicitur homo dominicus ratione humanæ naturæ, quam significat hoc nomen homo, non autem ratione suppositi.*

Ad secundum dicendum, quod illud unum suppositum, quod est humanæ, & divinæ naturæ, primo quidem fuit divinæ naturæ, scilicet ab æterno; postea autem ex tempore per incarnationem factum est suppositum humanæ naturæ. Et hæc ratione dicitur *humanatum*, non quia assumpserit hominem; sed quia assumpsit humanam naturam. Non autem sic est & converso quod suppositum humanæ naturæ assumpsit divinam naturam: unde non potest dici homo *deificatus*, vel *dominicus*.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen *divinum* consuevit prædicari etiam de his de quibus prædicatur essentialiter hoc nomen *Deus*: dicimus enim, quod divina essentia est Deus ratione identitatis, & quod essentia est Dei, sive divina propter diversum modum significandi, & Verbum Divinum, cum tamen Verbum sit Deus. Et similiter dicimus personam divinam; sicut & personam Platonis, propter diversum modum significandi. Sed *dominicus* non dicitur de his de quibus *Dominus* prædicatur: non enim consuevit dici, quod aliquis homo qui est dominus, sit dominicus; sed illud quod qualitercumque est Domini, dominicum dicitur; sicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, qui est Dominus, non potest dici dominicus; sed potest caro ejus dici *caro dominica*, & passio ejus potest dici *passio dominica*.

Sed contra est quod dicitur Joann. 1. 13. *Verbum caro factum est*: & sicut Athanasius dicit in epist. ad Episcopatum (con. hereticos aliquant. à med.) *quod dixit, Verbum caro factum est, simile est ac si diceretur, quod Deus homo factus est.*

Respondeo dicendum, quod unumquodque dicitur esse factum illud quod de novo incipit predicari de ipso. Esse autem hominem vere predicari de Deo, sicut dictum est (art. 1. huj. quest.) ita tamen quod non convenit Deo esse hominem ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humanæ naturæ. Et ideo hæc est vera, *Deus factus est homo*; diversimode tamen intelligitur à diversis, sicut & hæc, *Deus est homo*, ut supra dictum est (art. 1. huj. quest.)

Ad primum ergo dicendum, quod fieri hominem est fieri simpliciter in omnibus his in quibus humana natura incipit esse: in supposito de novo creato. Deus autem dicitur factus homo, eo quod humana natura incipit esse in supposito divinæ naturæ ab æterno præexistente. Et ideo Deum fieri hominem, non est Deum fieri simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.) fieri importat quod aliquid predicetur de novo de altero. Unde quandoque aliquid de novo predicatur de altero cum mutatione ejus de quo dicitur, tunc fieri est mutari: & hoc contingit in omnibus quæ absolute dicuntur: non enim potest albedo, aut nigredo de novo advenire alicui, nisi per hoc quod de novo mutatur ad albedinem, vel nigredinem. Ea vero quæ relative dicuntur, possunt de novo predicari de aliquo absque ejus mutatione; sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione per motum illius qui fit ei sinister. Unde in talibus non oportet omnino quod dicitur fieri, esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius. Et per hunc modum Deo dicitur: *Domine refugium factus est nobis*: Psalm. LXXXIX. 1. Esse autem hominem convenit Deo ratione unionis, quæ est relatio quædam. Et ideo esse hominem predicatur de novo de Deo absque ejus mutatione per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in divinam personam. Et ideo cum dicitur: *Deus factus est homo*, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quod homo supponit personam Filii Dei non nudam, sed prout subsistit in humana natura: & ideo quavis hæc sit falsa, *Deus factus est persona Filii Dei*; est tamen hæc vera, *Deus factus est homo*, ex eo quod est unitus humanæ naturæ.

Ad quartum dicendum, quod homo supponit personam Filii Dei non nudam, sed prout subsistit in humana natura: & ideo quavis hæc sit falsa, *Deus factus est persona Filii Dei*; est tamen hæc vera, *Deus factus est homo*, ex eo quod est unitus humanæ naturæ.

Ad quintum dicendum, quod homo supponit personam Filii Dei non nudam, sed prout subsistit in humana natura: & ideo quavis hæc sit falsa, *Deus factus est persona Filii Dei*; est tamen hæc vera, *Deus factus est homo*, ex eo quod est unitus humanæ naturæ.

## ARTICULUS VII. 106

Utrum hæc sit vera, Homo factus est Deus.

Locis sup. art. 6. cit.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod hæc sit vera, *Homo factus est Deus*. Dicitur enim Rom. 1. 2. *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Sed Christus, secundum quod homo, est ex semine David secundum carnem. Ergo homo factus est Filius Dei.

2. Præterea. Augustinus dicit in I. de Trinit. (cap. XLII. in princ.) *Talis erat illa susceptio, que Deum hominem faceret, & hominem Deum*. Sed ratio illius susceptionis hæc est vera, *Deus factus est homo*. Ergo similiter hæc est vera, *Homo factus est Deus*.

3. Præterea. Gregorius Nazianzenus dicit in epist. 1. ad Cleonitum (in quo orat. 51. inter princ. & med.) *Deus quidem humanatus est, homo autem deificatus, vel quomodo dicitur aliquis nominaverit*. Sed Deus ea ratione dicitur humanatus quia est homo factus. Ergo homo ea ratione dicitur deificatus quia est factus Deus: & ita hæc est vera, *Homo factus est Deus*.

4. Præterea. Cum dicitur, *Deus factus est homo*, subiectum factionis, vel mutationis non est Deus, sed humana natura, quam significat hoc nomen *homo*. Sed illud videtur esse subiectum factionis cui factio attribuitur. Ergo hæc magis est vera, *Homo factus est Deus*, quam ista, *Deus factus est homo*.

Sed contra est quod Damascenus dicit in III. lib. (orth. Fid. cap. 11. ad fin.) *Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum*. Idem autem est fieri Deum quod deificari. Ergo hæc est falsa, *Homo factus est Deus*.

Respondeo dicendum, quod ista propositio, *Homo factus est Deus*, tripliciter potest intelligi. Uno modo ita quod hoc participium *factus* determinet absolute, vel subiectum, vel predicatum: & in hoc sensu est falsa: quia neque homo ille de quo Deus predicatur, est factus, neque Deus est factus, ut infra dicitur (art. 8. & 9. seq.) & sub eodem sensu hæc est falsa, *Deus factus est homo*. Sed sub hoc sensu non queritur hic de istis propositionibus.

Alio modo potest intelligi, ut *ly factus* determinet compositionem; ut sit sensus: *Homo factus est Deus*; idest, factum est ut homo sit Deus. Et sub hoc sensu utraque est vera, & *Homo factus est Deus*, & *Deus factus est homo*. Sed hic non est proprius sensus harum locutionum: nisi forte intelligatur, secundum quod *ly homo* non habet personalem suppositionem,

sed simplicem. Licet enim hic homo non sit factus Deus: quia hoc suppositum, scilicet persona Filii Dei, ab æterno fuit Deus; tamen homo, communiter loquendo, non semper fuit Deus.

Tertio modo proprie intelligitur, secundum quod hoc participium *factus* ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis. Et in hoc sensu, supposito quod in Christo sit eadem persona, & hypostasis, & suppositum Dei, & hominis, ut supra ostensum est (quest. 11. art. 3.) ista propositio est falsa: quia cum dicitur, *Homo factus est Deus*, *ly homo* habet personalem suppositionem. Non enim esse Deum verificatur de homine ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi sui. Suppositum autem illud humanæ naturæ, de quo verificatur esse Deum, est idem quod hypostasis, seu persona Filii Dei, quæ semper fuit Deus. Unde non potest dici, quod iste homo incipit esse Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus sit Deus. Si vero esset alia persona, vel hypostasis Dei, & hominis, ita quod esse Deum predicaretur de homine, & è converso, per quamdam conjunctionem suppositorum, vel dignitatis personalis, vel affectionis, vel inhabitationis, ut Nestoriani dixerunt; tunc pari ratione posset dici, quod homo factus est Deus, idest conjunctus Deo, sicut & quod Deus factus est homo, idest conjunctus homini.

Ad primum ergo dicendum, quod in verbis illis Apostoli hoc relativum *qui*, quod refert personam Filii Dei, non debet intelligi ex parte predicari: quasi aliquis existens ex semine David secundum carnem, sit factus Filius Dei: in quo sensu obiecto procedebat: sed debet intelligi ex parte subiecti; ut sit sensus quod, Filius Dei factus est, scilicet homo, ad honorem Patris, ut Glossa (interl.) exponit, existens ex semine David secundum carnem. ac si diceret: Filius Dei factus est habens carnem ex semine David ad honorem Dei.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum Augustini dicitur intelligendum in illo sensu, secundum quod ex illa susceptione Incarnationis factum est ut homo esset Deus, & Deus esset homo: in quo sensu ambæ locutiones sunt veræ, ut dictum est (in corp. art.)

Et similiter dicendum est ad tertium: nam deificari idem est quod fieri Deum.

Ad quartum dicendum, quod terminus in subiecto positus tenetur materialiter, idest pro supposito; positus vero in predicato tenetur formaliter, idest pro natura significata. Et ideo cum dicitur, *Homo factus est Deus*, ipsum fieri non attribuitur humanæ naturæ, sed supposito humanæ naturæ, quod est ab æterno Deus: & ideo non convenit ei fieri Deum. Cum autem dicitur, *Deus factus est homo*, factio intelligitur

terminari ad ipsam humanam naturam. Et ideo, proprie loquendo, hæc est vera, *Deus factus est homo*; sed hæc est falsa, *Homo factus est Deus*: sicut si Socrates, cum prius fuerit homo, postea factus est albus, demonstrato Socrate, hæc est vera, *Hic homo hodie factus est albus*; hæc tamen est falsa, *Hoc album hodie factum est homo*. Si tamen ex parte subiecti poneretur aliquod nomen significans naturam humanam in abstracto, posset hoc modo significari ut subiectum factionis; puta si dicitur, quod natura humana facta est Filius Dei.

## ARTICULUS VIII. 107

Utrum hæc sit vera, Christus est creatura.

Inf. quest. XX. art. 1. ad 1. & I. P. quest. XLIV. art. 3. corp. & ad 4. & III. dist. IV. quest. 11. art. 2. ad 4. & dist. XI. quest. 1. art. 2. & dist. XXI. quest. 1. art. 3. ad 2. & IV. cont. cap. XLVII. & ver. quest. XXIX. art. 1. ad 1. & epist. 11. cap. CCCXIII. & I. Cor.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod hæc sit vera, *Christus est creatura*. Dicit enim Leo Papa: (quid simile hab. serm. 111. Pentecost. parum à princ.) *Nova, & inaudita conventio: Deus, qui est, & erat, fit creatura*. Sed illud potest predicari de Christo quod Filius Dei factus est per Incarnationem. Ergo hæc est vera, *Christus est creatura*.

2. Præterea. Proprietates utriusque naturæ possunt predicari de hypostasi communis utriusque naturæ, quocumque nomine significetur, ut supra dictum est (art. 5. huj. quest.) Sed proprietates humanæ naturæ est esse creaturam, sicut & proprietates divinæ naturæ est esse creatorem. Ergo utrumque potest dici de Christo, scilicet quod sit creatura, & quod sit increatus, & creator.

3. Præterea. Principior pars hominis est anima quam corpus. Sed Christus ratione corporis, quod de Virgine traxit, dicitur esse simpliciter natus de Virgine. Ergo ratione animæ, quæ creata est à Deo, debet simpliciter dici, quod Christus sit creatura.

Sed contra est quod Ambrosius dicit in lib. I. de Trinit. (seu de fide ad Gratian. cap. v. 11. circ. med.) *Namquid dicto factus est Christus? numquid mandato creatus est Christus? quasi dicat, non. Unde subdit: Quomodo autem creatura in Deo esse potest? etenim Deus naturæ simplicis est, non conjunctus. Ergo hæc non est concedenda, Christus est creatura.*

Respondeo dicendum, quod, sicut Hieronymus dicit (implic. in cap. v. ad Gal.) ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis

unde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur. Ariani autem hæretici Christum dixerunt esse creaturam, & minorem Patre, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione divinæ personæ. Et ideo non est absolute dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre; sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam.

Ea vero de quibus suspicari non potest quod divinæ personæ convenient secundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanæ naturæ, sicut simpliciter dicimus, Christum esse passum, mortuum, & sepultum: sicut etiam in rebus corporalibus, & humanis, ea quæ in dubitationem venire possunt an conveniant toti, vel parti, si insunt alicui parti, non attribuius toti simpliciter, sed sine determinatione, non enim dicimus, quod Ethiops est albus, sed quod est albus secundum dentes; dicimus autem absque determinatione, quod est crispus, quia hoc non potest ei convenire nisi secundum capillos.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquando sancti Doctores causa brevitaris, determinatione omitta, nomine creature utuntur circa Christum; et tamen in eorum dictis subintelligenda determinatio, inquantum homo.

Ad secundum dicendum, quod omnes proprietates humanæ naturæ, sicut & divinæ, possunt equaliter dici de Christo. Unde & Damascenus dicit in III. lib. (orth. Fid. cap. xv. ad fin.) quod Christus, qui Deus est, & homo, dicitur & creatus, & increatus, & passibilis, & impassibilis. Sed tamen illa quæ dubitationem habent circa alteram naturam, non sunt dicenda absque determinatione: unde ipse postea alibi (lib. IV. orth. Fid. cap. v.) subdit: Ipsa una hypostasi, scilicet Christi, & increata est divinitate, & creata est humanitate: sicut & converso non est dicendum sine determinatione, Christus est incorporeus, vel impassibilis, ad evitandum errorem Manichæi, qui posuit Christum verum corpus non habuisse, nec vere passum esse, sed dicendum est cum determinatione, quod Christus secundum Deitatem est incorporeus, & impassibilis.

Ad tertium dicendum, quod de nativitate ex Virgine nulla dubitatio potest esse quod conveniat personæ Filii Dei, sicut potest esse de creatione: & ideo non est similis ratio utroque.

## ARTICULUS IX. 108

Utrum hæc sit vera, Ille homo, demonstrato Christo, incepit esse.

III. dist. xii. quest. 1. art. un.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod ille homo, demonstrato Christo, incepit esse. Dicit enim Augustinus super Joann. (tract. cv. à med.) Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei, & hominum homo Jesus Christus. Sed illud quod non semper fuit, incepit esse. Ergo ille homo, demonstrato Christo, incepit esse.

2. Præterea. Christus incepit esse homo. Sed esse hominem est esse simpliciter. Ergo ille homo incepit esse simpliciter.

3. Præterea. Homo importat suppositum humanæ naturæ. Sed Christus non semper fuit suppositum humanæ naturæ. Ergo ille homo incepit esse.

Sed contra est quod dicitur Hebr. ult. 8. Jesus Christus veri, & hodie, ipse & in secula.

Respondeo dicendum, quod non est dicendum, quod ille homo, demonstrato Christo, incepit esse, si nihil addatur. Et hoc duplici ratione. Primo quidem quia hæc locutio est simpliciter falsa secundum sententiam Catholicæ Fidei, quæ ponimus in Christo unum suppositum, & unam hypostasim, sicut & unam personam. Secundum hoc enim oportet quod in hoc quod dicitur, iste homo, demonstrato Christo, designetur suppositum æternum, cuius æternitati repugnat incipere esse: unde hæc est falsa, Ille homo incepit esse. Nec obstat quod incipere esse convenit humanæ naturæ, quæ significatur per hoc nomen homo: quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito, ut supra dictum est (art. 7. huj. quest. ad 4.) Secundo quia etiam si esset vera, non tamen esset ea utendum absque determinatione, ad evitandum hæresim Arii: quia sicut personæ Filii Dei attribuit quod esset creatura, & quod esset minor Patre; ita attribuit ei quod esse incepit, dicens, quod erat quando non erat.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa est intelligenda cum determinatione, ut scilicet dicamus, quod homo Jesus Christus non fuit, antequam mundus esset, secundum humanitatem.

Ad secundum dicendum, quod cum hoc verbo incipit non sequitur argumentum ab inferiori ad superiorum. Non enim sequitur: Hoc incipit esse album: Ergo incipit esse coloratum. Et hoc ideo, quia incipere importat nunc esse, & non prius. Non autem sequitur: Hoc non erat prius

al-

album: Ergo non erat prius coloratum. Esse autem simpliciter est superius ad esse hominem. Unde non sequitur: Christus incepit esse homo: Ergo incepit esse.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen homo, secundum quod accipitur pro Christo, licet significet humanam naturam, quæ incepit esse; tamen supponit suppositum æternum, quod esse non incepit. Et ideo quia secundum quod ponitur in subiecto, tenetur pro supposito, secundum autem quod ponitur in prædicatione, refertur ad naturam; ideo hæc est falsa: Homo Christus esse incepit, sed hæc est vera, Christus incepit esse homo.

## ARTICULUS X. 109

Utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est creatura.

III. dist. xv. quest. 1. art. 2. quest. 1. c. & quest. 2. ad 3. & dist. x. quest. 1. art. 1. quest. 2. & dist. xii. quest. 1. art. 3.

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura, vel incepit esse. Nihil enim in Christo est creatum nisi humana natura. Sed hæc est falsa: Christus, secundum quod homo, est humana natura. Ergo hæc etiam est falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura.

2. Præterea. Prædicatione magis prædicatur de termino in reduplicatione posito, quam de ipso subiecto propositionis; sicut si dicam, Corpus, secundum quod coloratum, est visibile, sequitur quod coloratum sit visibile. Sed hæc non est absolute, sicut dictum est (art. 8. & 9. præc.) concedenda: Homo Christus est creatura. Ergo neque hæc: Christus, secundum quod homo, est creatura.

3. Præterea. Quicquid prædicatur de quocumque homine, secundum quod homo, prædicatur de eo per se, & simpliciter: idem enim est per se, & secundum quod ipsum, ut dicitur in V. Metaph. (text. 23.) Sed hæc est falsa: Christus est per se, & simpliciter, creatura. Ergo etiam hæc est falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Sed contra. Omne quod est, vel est creator, vel creatura. Sed hæc est falsa: Christus, secundum quod homo, est creator. Ergo hæc est vera: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Respondeo dicendum, quod cum dicitur, Christus secundum quod homo, hoc nomen homo potest referri in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Si quidem resumatur ratione suppositi, cum suppositum humanæ naturæ in Christo sit æternum, & increatum, hæc erit falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura. Si vero resumatur ra-

tione humanæ naturæ, sic est vera: quia ratione humanæ naturæ, sive secundum humanam naturam, convenit sibi esse creaturam, ut supra dictum est (art. 8. huj. quest.)

Sciendum tamen, quod nomen sic resumptum reduplicatione magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito: resumitur enim in vi prædicari, quod tenetur formaliter: idem enim est dictum, Christus, secundum quod homo, ac si diceretur, Christus, secundum quod est homo. Et ideo hæc est magis concedenda quam neganda: Christus, secundum quod homo, est creatura. Si tamen adderetur aliquid per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda quam concedenda; puta si diceretur: Christus, secundum quod hic homo, est creatura.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus non sit humana natura, est tamen habens humanam naturam. Nomen autem creaturæ natum est prædicari non solum de abstractis, sed etiam de concretis: dicimus enim, quod humanitas est creatura, & quod homo est creatura.

Ad secundum dicendum, quod ly homo, secundum quod ponitur in subiecto, magis respicit suppositum; secundum autem quod ponitur in reduplicatione, magis respicit naturam, ut dictum est (in corp. art.) Et quia natura est creata, suppositum vero increatum, ideo licet non concedatur ista simpliciter, Homo Christus est creatura; conceditur tamen ista: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Ad tertium dicendum, quod cuilibet homini, qui est suppositum solius naturæ humanæ, competit quod non habeat esse, nisi secundum humanam naturam: & ideo de quolibet tali supposito sequitur, si secundum quod homo, est creatura, quod sit creatura simpliciter. Sed Christus non solum est suppositum humanæ naturæ, sed etiam divinæ, secundum quam habet esse increatum. Et ideo non sequitur, si secundum quod homo, est creatura, quod sit simpliciter creatura.

## ARTICULUS XI. 110

Utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est Deus.

III. dist. x. quest. 1. art. 1. quest. 1. & quest. 3. corp.

**A**D undecimum sic proceditur. Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. Christus enim est Deus per gratiam unionis. Sed Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

2. Præterea. Dimittere peccata est proprium Dei, secundum illud Isai. xl. 11. 25. *Ego sum isse qui delicto iniquitates tuas propter me.* Sed Christus, secundum quod homo, dimittit peccata, secundum illud Matth. ix. 6. *Ut autem scitis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittere peccata, &c.* Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

3. Præterea. Christus non est homo communis, sed est homo iste particularis. Sed Christus, secundum quod est iste homo, est Deus: quia in isto homine designatur suppositum æternum, quod naturaliter est Deus. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

Sed contra. Illud quod convenit Christo, secundum quod homo, convenit cuilibet homini. Si ergo Christus, secundum quod homo est Deus, sequitur quod omnis homo sit Deus: quod patet esse falsum.

Respondetur dicendum, quod iste terminus homo in reduplicatione positus potest dupliciter accipi. Uno modo quantum ad naturam: & sic non est verum quod Christus, secundum quod homo, sit Deus: quia humana natura est distincta à divina secundum differentiam naturæ. Alio modo potest accipi ratione suppositi: & sic cum suppositum naturæ humanæ in Christo sit persona Filii Dei, cui per se convenit esse Deum, verum est quod Christus, secundum quod homo, sit Deus.

Quia tamen terminus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito, ut supra dictum est (art. præc. in corp. & ad 2.) ideo magis est ista neganda: *Christus, secundum quod homo, est Deus*, quam sit affirmanda.

Ad primum ergo dicendum, quod non secundum idem convenit alicui moveri ad aliquid, & esse illud: nam moveri convenit alicui ratione materiæ, vel subiecti; esse autem in actu ratione formæ. Et similiter non secundum idem convenit Christo ordinari ad hoc quod sit Deus per gratiam unionis, & esse Deum; sed primum convenit sibi secundum humanam naturam, secundum vero secundum

divinam. Et ideo hæc est vera: *Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis*: non tamen ista: *Christus, secundum quod homo, est Deus.*

Ad secundum dicendum, quod siltus hominis habet in terra potestatem dimittere peccata, non virtute humanæ naturæ, sed virtute naturæ divinæ; in qua quidem natura divina consistit potestas dimittere peccata per auctoritatem; in humana autem natura consistit instrumentaliter, & per ministerium. Unde Chrysostomus super Matth. (implic. hom. xxx. circ. med.) hoc exponens dicit: *Signanter dixit: In terra dimittere peccata, ut ostenderet quod humana natura potestatem Divinitatis unitis indivisibili unione: quia est factus est homo, tamen Dei Verbum permansit.*

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur *iste homo*, pronomen demonstrativum hoc nomen homo trahit ad suppositum: & ideo magis est hæc vera: *Christus, secundum quod iste homo, est Deus*, quam ista: *Christus, secundum quod homo, est Deus.*

## ARTICULUS XII. 111

Utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.

III. dist. x. quest. 1. art. 2. & Rom. 1. lect. 3.

**A**D duodecimum sic proceditur. Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit hypostasis, vel persona. Illud enim quod convenit cuilibet homini, convenit Christo, secundum quod est homo: est enim aliis hominibus similis, secundum illud Philp. 11. 7. *In similitudinem hominum factus.* Sed omnis homo est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

2. Præterea. Christus, secundum quod homo, est substantia rationalis naturæ, non autem substantia universalis: ergo substantia individua. Sed nihil aliud est persona quam *rationalis naturæ individua substantia*, ut Boetius dicit in lib. de duabus naturis (aliquant. à princ.) Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

3. Præterea. Christus, secundum quod homo, est res humanæ naturæ, & suppositum, & hypostasis ejusdem naturæ. Sed omnis hypostasis, & suppositum, & res humanæ naturæ est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Sed contra. Christus, secundum quod homo, non est persona æterna. Si ergo Christus, secundum quod homo, sit persona, sequeretur quod in Christo sint duæ personæ, & tempo-

## QUÆSTIO XVII.

De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad esse,

in duos articulos divisa.

**D**Einde considerandum est de his quæ pertinent ad unitatem in Christo in communi. Nam de his quæ pertinent ad unitatem, vel pluralitatem in speciali, suis locis determinandum est; sicut supra determinatum est (quæst. ix.) quod in Christo non est una tantum scientia, & infra determinabitur (quæst. xxxv.) quod in Christo non est una tantum nativitas.

Considerandum est ergo primo de unitate Christi quantum ad esse. Secundo quantum ad velle. Tertio quantum ad operari.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo, utrum Christus sit unum, vel duo.

Secundo, utrum in Christo sit tantum unum esse.

## ARTICULUS I. 112

Utrum Christus sit unum, vel duo.

III. dist. vi. quest. 1. art. 1. & dist. xxi. quest. 1. art. 1. quest. 2. ad 6. & IV. cont. cap. xxxviii. fin. & un. art. 2. ad 2. & 7. & art. 3. & 4. per tot. & art. 5. ad 14.

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod Christus non sit unum, sed duo. Dicit enim Augustinus in I. de Trin. (cap. vi. circ. med.) *Quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem.* Sed utrumque dici non potest, nisi ubi sunt duo. Ergo Christus est duo.

2. Præterea. Ubicumque est aliud, & aliud, ibi sunt duo. Sed Christus est aliud, & aliud: dicit enim Augustinus in Eneh. (cap. xxxv. in med.) *Cum in forma Dei esset, formam servi accepit, utrumque unus, sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem.* Ergo Christus est duo.

3. Præterea. Christus non est tantum homo, quia sic purus homo esset. Ergo est aliquid aliud quam homo: & ita in Christo est aliud, & aliud. Ergo Christus est duo.

4. Præterea. Christus est aliquid quod est Pater, & est aliquid quod non est Pater. Ergo Christus est aliquid, & aliud. Ergo Christus est duo.

5. Præterea. Sicut in mysterio Trinitatis sunt tres personæ in una natura; ita in

Christo sunt tres personæ in una natura; ita in

Christo sunt tres personæ in una natura; ita in

Christo sunt tres personæ in una natura; ita in

Christo sunt tres personæ in una natura; ita in

Christo sunt tres personæ in una natura; ita in

Christo sunt tres personæ in una natura; ita in

mysterio incarnationis sunt duæ naturæ in una persona. Sed propter unitatem naturæ, non obstante distinctione personæ, Pater, & Filius sunt unum, secundum illud Joan. x. 30. *Ego, & Pater unum sumus.* Ergo, non obstante unitate personæ, propter dualitatem naturarum Christus est duo.

6. Præterea. Philosophus dicit in III. Phyl. (tex. 18.) quod unum, & duo denominative dicuntur. Sed Christus habet dualitatem naturarum. Ergo Christus est duo.

7. Præterea. Sicut forma accidentalis facit alterum, ita forma substantialis aliud, ut Porphyrius dicit (in Prædic. cap. de differ.) Sed in Christo sunt duæ naturæ substantiales, humana scilicet, & divina. Ergo Christus est aliud, & aliud. Ergo Christus est duo.

Sed contra est quod Boetius dicit in Lib. de duabus naturis (simplic. & Lib. de unit. & uno, cir. princ.) *Omni quod est, in quantum est, unum est.* Sed Christum esse confitemur. Ergo Christus est unum.

Respondeo dicendum, quod natura secundum se considerata, prout in abstracto significatur, non vere potest prædicari de supposito, seu persona, nisi in Deo, in quo non differit quod est, & quo est, ut in prima parte habitum est (quest. 11. art. 3. & 4.) In Christo autem cum sint duæ naturæ, divina scilicet, & humana, altera earum, scilicet divina, potest de eo prædicari & in abstracto, & in concreto: dicimus enim, quod Filius Dei, qui supponitur in hoc nomine *Christus*, & est divina natura, & est Deus. Sed humana natura non potest prædicari de Christo secundum se in abstracto, sed solum in concreto, prout scilicet significatur in supposito. Non enim vere potest dici, quod Christus sit humana natura, quia natura humana non est nata prædicari de suo supposito; dicitur autem, quod Christus est homo, sicut & quod Christus est Deus. Deus autem significat habentem Deitatem, & homo significat habentem humanitatem. Aliter tamen habens humanitatem significatur per hoc nomen *homo*, & aliter per hoc nomen *Jesus*, vel *Petrus*. Nam hoc nomen *homo* importat habentem humanitatem indistincte, sicut & hoc nomen *Deus* indistincte importat habentem Deitatem; hoc autem nomen *Petrus*, vel *Jesus*, importat distincte habentem humanitatem, scilicet sub determinatis individualibus proprietatibus, sicut & hoc nomen *Filius Dei* importat habentem Deitatem sub determinata proprietate personali. Numerus autem dualitatis in Christo ponitur circa ipsas naturas. Et ideo si ambæ naturæ in abstracto prædicantur de Christo, sequeretur quod Christus esset duo. Sed quia duæ naturæ non prædicantur de Christo, nisi prout significantur in supposito, oportet secundum rationem

suppositi prædicari de Christo unum, vel duo.

Quidam autem posuerunt in Christo duo supposita, sed unam personam: quæ quidem videtur se habere secundum eorum opinionem tamquam suppositum completum ultima completionem. Et ideo quia ponebant in Christo duo supposita, dicebant Christum esse duo neutraliter. Sed quia ponebant unam personam, dicebant Christum unum masculinè, nam neutrum genus designat quiddam informe, & imperfectum; genus autem masculinum designat quiddam formatum, & perfectum. Nestoriani autem ponentes in Christo duas personas dicebant, Christum non solum esse duo neutraliter, sed etiam duos masculinè. Quia vero nos ponimus in Christo unam personam, & unum suppositum, ut ex supra dictis patet (quæst. 11. art. 2. & 3.) sequitur quod dicamus, quod non solum Christus est unum masculinè, sed etiam quod est unum neutraliter.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Augustini non est sic intelligendum, quod *ly utrumque* teneatur ex parte prædicari; quasi dicat, quod Christus sit utrumque; sed teneatur ex parte subiecti. Et tunc *ly utrumque* ponitur non quasi pro duobus suppositis, sed pro duobus nominibus significantibus duas naturas in concreto. Possim enim dicere, quod utrumque, scilicet Deus, & homo, est Deus propter accipientem Deum; & utrumque, scilicet Deus, & homo, est homo propter acceptum hominem.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, *Christus est aliud, & aliud*, locutio est exponenda, ut sit sensus, *Habens aliam, & aliam naturam.* Et hoc modo exponit Augustinus in Lib. contra Felicianum (cap. 11. in fin.) ubi cum dixisset, *In mediatore Dei, & hominum aliud Dei Filius, aliud hominis Filius*, subdit: *Aliud, inquam, pro discrezione substantiæ, non aliud pro unitate personæ.* Unde Gregorius Nazianzenus in epist. 1. (inter princ. & med.) ad Cledonium dicit: *Si oportet compendiose dicere, aliud quidem, & aliud ea ex quibus Salvator est: siquidem non idem est invisibile visibili, & quod absque tempore, ei quod sub tempore: non autem alius, & alius: absit: hæc enim ambo unum.*

Ad tertium dicendum, quod hæc est falsa, *Christus est tantum homo*: quia non excludit aliud suppositum, sed aliam naturam, eo quod termini in prædicato possit formaliter tenerentur. Si vero adderetur aliquid, per quod traheretur ad suppositum, esset vera locutio; puta *Christus est tantum id quod est homo.* Non tamen sequitur quod sit aliquid aliud quam homo: quia *ly aliud*, cum sit relativum diversitatis substantiæ, proprie refertur ad suppositum.

positum, sicut & omnia relativa scientia personalem relationem. Sequitur autem. Ergo habet aliam naturam.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, *Christus est aliud quod est Pater*, *ly aliud* teneatur pro natura divina, quæ etiam in abstracto prædicatur de Patre, & Filio. Sed cum dicitur, *Christus est aliud quod non est Pater*, *ly aliud* teneatur non pro ipsa natura humana, secundum quod significatur in abstracto, sed secundum quod significatur in concreto, non quidem secundum suppositum distinctum, sed secundum suppositum indistinctum, prout scilicet subsistat naturæ, non autem proprietatibus individuantibus. Et ideo non sequitur quod Christus sit aliud, & aliud, vel quod sit duo: quia suppositum humanæ naturæ in Christo, quod est persona Filii Dei, non ponitur in numerum cum natura divina, quæ prædicatur de Patre, & Filio.

Ad quintum dicendum, quod in mysterio divinæ Trinitatis natura divina prædicatur etiam in abstracto de tribus personis: & ideo simpliciter potest dici, quod tres personæ sint unum. Sed in mysterio Incarnationis non prædicantur ambæ naturæ in abstracto de Christo: & ideo non potest simpliciter dici, quod Christus sit duo.

Ad sextum dicendum, quod duo dicitur, quasi habens dualitatem, non quidem in alio alio, sed in ipso de quo duo prædicatur. Fit autem prædicatio de supposito, quod importatur per hoc nomen *Christus*. Quamvis igitur Christus habeat dualitatem naturarum; quia tamen non habet dualitatem suppositorum, non potest dici Christus esse duo.

Ad septimum dicendum, quod alteram importat diversitatem accidentis. Et ideo diversitas accidentis sufficit ad hoc quod aliquid simpliciter dicatur alterum. Sed aliud importat diversitatem substantiæ: substantia autem dicitur non solum natura, sed etiam suppositum, ut dicitur in V. Meth. tex. 15. Et ideo diversitas naturæ non sufficit ad hoc quod aliquid simpliciter dicatur aliud, nisi addit diversitas secundum suppositum: sed diversitas naturæ facit aliud secundum quid, scilicet secundum naturam, si non addit diversitas suppositi.

#### ARTICULUS II.

*Utrum in Christo sit tantum unum esse.*

III. dist. 14. quest. 1. art. 2. quest. 1. cor. fin. & dist. 11. quest. 11. art. 2. & un. art. 4. & quod. IX. q. 11. art. 2. & opusc. 11. cap. 11. x. & ccc. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in Christo non sit tantum unum esse, s. Th. Op. Tom. 7.

sed duo. Dicit enim Damascenus in III. Lib. (orth. Fid. cap. xlii.) quod ea quæ consequuntur naturam, in Christo duplicantur, esse enim est à forma. Ergo in Christo sunt duo esse.

2. Præterea. Esse Filii Dei est ipsa natura divina, & est æternum. Esse autem hominis Christi non est divina natura, sed est esse temporale. Ergo in Christo non est tantum unum esse.

3. Præterea. In Trinitate quamvis sint tres personæ, est tamen unum esse propter unitatem naturæ. Sed in Christo sunt duæ naturæ, quamvis sit una persona. Ergo in Christo non est tantum unum esse, sed duo.

4. Præterea. In Christo anima dat aliquid esse corpori, cum sit forma ejus. Sed non datur sibi esse divinum, cum sit increatum. Ergo in Christo est aliud esse præter esse divinum: & sic in Christo non est tantum unum esse.

Sed contra. Unumquodque secundum hoc dicitur ens, secundum quod dicitur unum: quia unum, & ens convertuntur. Si ergo in Christo essent duo esse, & non tantum unum, Christus esset duo, & non unum.

Respondeo dicendum, quod quia in Christo sunt duæ naturæ, & una hypostasis, necesse est quod ea quæ ad naturam pertinent in Christo, sint duo; quæ autem pertinent ad hypostasim in Christo, sint unum tantum. Esse autem pertinet ad naturam, & ad hypostasim: ad hypostasim quidem sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem sicut ad id quod aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formæ, quæ dicitur ens ex eo quod ea aliquid est; sicut albedine est aliquid album, & humanitate est aliquid homo. Est autem considerandum, quod si est aliqua forma, vel natura, quæ non pertinet ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur esse illius personæ simpliciter, sed secundum quid, sicut esse album est esse Socratis, non in quantum esse Socrates, sed in quantum est album. Et huiusmodi esse nihil prohibet multiplicari in una hypostasi, vel persona: aliud enim est esse quod Socrates est albus, & quod Socrates est musicus. Sed illud esse quod pertinet ad ipsam hypostasim, vel personam secundum se, impossibile est in una hypostasi, vel persona multiplicari: quia impossibile est quod unius rei non sit unum esse.

Si igitur humana natura adveniret Filio Dei non hypostaticè, vel personaliter, sed accidentaliter, sicut quidam posuerunt; oporteret ponere in Christo duo esse, unum quidem, secundum quod est Deus, aliud autem, secundum quod est homo; sicut in Socrate ponitur aliud esse, secundum quod est albus, & aliud, esse.

secundum quod est homo: quia esse album non pertinet ad ipsum esse personale Socratis; esse autem capitatum, & esse corporeum, & esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis: & ideo ex omnibus his non fit nisi unum esse in Socrate: & si contingeret quod post constitutionem personæ Socratis advenirent Socrati manus, vel pedes, vel oculi, sicut accidit in cæco nato, ex his non accresceret Socrati aliud esse, sed solum ratio quædam ad hujusmodi: quia scilicet diceretur esse non solum secundum ea quæ prius habebat, sed etiam secundum ea quæ sibi postmodum advenirent. Sic igitur cum humana natura conjugatur Filio Dei hypostatice, vel personaliter, ut supra dictum est (quæst. 11. art. 5. & 6.) & non accidentaliter; consequens est quod secundum humanam naturam non adveniat sibi novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam; ut scilicet persona illa jam dicatur subsistere non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam.

Ad primum ergo dicendum, quod esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut quo aliquid est; personam autem, sive hypostasim consequitur, sicut habentem esse. Et ideo magis retinet unitatem secundum unitatem hypostatis, quam habeat dualitatem secundum dualitatem naturæ.

Ad secundum dicendum, quod illud esse æternum Filii Dei, quod est divina natura, fit esse hominis, in quantum humana natura assumitur à Filio Dei in unitatem personæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut in prima parte dictum est (quæst. 11. art. 3. & 4. & q. xxxix. art. 1.) quia persona divina est idem cum natura, in personis divinis non est aliud esse personæ præter esse naturæ, & ideo tres personæ non habent nisi unum esse. Habent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personæ, & aliud esse naturæ.

Ad quartum dicendum, quod anima in Christo dat esse corpori, in quantum facit ipsum actum animatum; quod est dare ei complementum naturæ, & speciei. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrumque, hoc totum compositum ex anima, & corpore, prout significatur nomine humanitatis, non significatur ut quod est, sed ut quo aliquid est. Et ideo ipsum esse est personæ subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam: cuius habitudinis causa est anima, in quantum perficit humanam naturam informanti corpore.

## QUÆSTIO XVIII.

*De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad voluntatem,*

*in sex articulos divisa.*

**D**einde considerandum est de unitate quantum ad voluntatem: & circa hoc quaeruntur sex.

Primo, utrum in Christo sit alia voluntas divina, & alia humana.

Secundo, utrum in humana natura Christi sit alia voluntas sensualitatis, & alia rationis.

Tertio, utrum ex parte rationis fuerint in Christo plures voluntates.

Quarto, utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.

Quinto, utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volitione.

Sexto, utrum in Christo fuerit aliqua contrarietas voluntatum.

## ARTICULUS I. 114

*Utrum in Christo sint duæ voluntates.*

*III. dist. xiv. art. 1. quæst. 1. cor. & dist. xvii. art. 1. quæst. 1. & IV. cont. cap. xxxvi. & pot. quæst. x. art. 4. ad 13. & opusc.*

*11. cap. c11. & Joan. vi. lxx. 4.*

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod in Christo non sint duæ voluntates, una divina, & alia humana. Voluntas enim est primum movens, & imperans in unoquoque volente. Sed in Christo primum movens, & imperans fuit voluntas divina: quia omnia humana in Christo movebantur secundum voluntatem divinam. Ergo videtur quod in Christo non fuerit nisi una voluntas, scilicet divina.

2. Præterea. Instrumentum non movetur propria voluntate, sed voluntate moventis. Sed natura humana fuit in Christo, sicut instrumentum Divinitatis ejus. Ergo natura humana in Christo non movebatur propria voluntate, sed divina.

3. Præterea. Illud solum multiplicatur in Christo quod pertinet ad naturam. Voluntas autem non videtur ad naturam pertinere: quia ea quæ sunt naturalia, sunt ex necessitate; quod autem est voluntarium non est necessarium. Ergo voluntas est una tantum in Christo.

4. Præterea. Damascenus dicit in III. Lib. (ort. Fid. cap. xiv. inter princ. & med.) quod *aliquiliter velle non est naturæ, sed nostræ intelligentiæ, scilicet personalis. Sed omnis voluntas est æqualis voluntas: quia nihil est in genere*

nere quod non sit in aliqua ejus specie. Ergo omnis voluntas ad personam pertinet. Sed in Christo fuit, & est una tantum persona. Ergo in Christo est una tantum voluntas.

Sed contra est quod Dominus dicit Luc. XXI. 42. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat:* quod inducens Ambrosius ad Gratianum Imperatorem (Lib. II. de fide cap. 111. versus fin.) dicit: *Sicut suscepit voluntatem meam, suscepit tristitiam meam:* & super Luc. (cap. XXI. sup. illud, *Verumtamen non mea voluntas*) dicit: *Voluntatem suam ad hominem reculit, Patris ad Divinitatem: voluntas enim hominis est temporalis, voluntas divinitatis æterna.*

Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt in Christo esse unam solam voluntatem. Sed ad hoc ponendum diversimode moti esse videntur. Apollinaris enim non posuit animam intellectualem in Christo, sed quod Verbum esset loco animæ, vel etiam loco intellectus. Unde cum voluntas sit in ratione, ut Philosophus dicit in III. de Anima (tex. 42.) sequetur quod in Christo non esset voluntas humana; & ita in eo non esset nisi una voluntas. Et similiter Eutiches, & omnes qui posuerunt unam naturam compositam in Christo, cogebant ponere unam voluntatem in eo. Nestorius etiam, quia posuit unionem Dei, & hominis esse factam solum secundum affectum, & voluntatem, posuit unam voluntatem in Christo. Postmodum vero Macarius Antiochenus Patriarcha, & Cyrus Alexandrinus, & Sergius Constantinopolitanus, & quidam eorum sequaces posuerunt in Christo unam voluntatem, quamvis ponerent duas naturas in Christo secundum hypostasim unitas: quia opinabantur quod humana natura in Christo nunquam movebatur proprio motu, sed solum secundum quod erat mota à Divinitate, ut patet ex epistola synodica Agathonis Papæ à med. & hab. in Conc. Const. III. gener. VI. act. 14.)

Et ideo in sexta Synodo apud Constantinopolim celebrata (mox cit. act. xviii. quæ Græce est xvii. in sym. Const. cl. PP. versus fin.) determinatum est, oportere dici quod in Christo sint duæ voluntates: ubi sic legitur: *juxta quod olim Propheta de Christo, & ipse nos enudavit, & sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes predicamus.* Et hoc necessarium fuit dici. Manifestum est enim quod Filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam, sicut supra ostensum est (quæst. 11. art. 3.) Ad perfectionem autem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia, sicut & intellectus, ut patet ex his quæ in prima parte dicta sunt (quæst.

LXXIX. & LXXX.) Unde necesse est dicere, quod Filius Dei humanam voluntatem adimplevit in humana natura. Per assumptionem autem humanæ naturæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his quæ pertinent ad divinam naturam, cui competit voluntatem habere, ut in prima parte habitum est (quæst. XIX. art. 1.) Unde necesse est dicere, quod in Christo sint duæ voluntates, una scilicet divina, & alia humana.

Ad primum ergo dicendum, quod quicquid fuit in humana natura Christi, movebatur nutu voluntatis divinæ; non tamen sequitur quod in Christo non fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ: quia etiam aliorum sanctorum piæ voluntates moventur secundum voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere, ut dicitur Philip. 1. Licet enim voluntas non possit interius moveri ab aliqua creatura; interius tamen movetur à Deo, ut in prima parte dictum est. (quæst. cv. art. 4.) Et sic etiam Christus secundum voluntatem humanam sequebatur voluntatem divinam, secundum illud Psalm. xxxix. 9. *ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, velle.* Unde Augustinus dicit contra Maximium (Lib. III. cap. xx. ante med.) *Ubi dixit Filius Patri, Non quod ego volo, sed quod tu vis, quid te adjuvat, quod tua verba subjungis, & dicit: Ostendit vere suam voluntatem subjettam suo genitori: quasi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subiectam?*

Ad secundum dicendum, quod proprium est instrumenti quod moveatur à principalis agente, diversimode tamen secundum proprietatem naturæ ipsius. Nam instrumentum inanimatum (sicut securis, aut ferra) movetur ab artifice per solum motum corporalem; instrumentum vero animatum anima sensibili movetur per appetitum sensitivum, sicut equus à fessore; instrumentum vero animatum anima rationali movetur per voluntatem ejus; sicut per imperium domini movetur servus ad aliquid agendum, qui quidem servus est sicut instrumentum animatum, ut Philosophus dicit in I. Polit. (cap. 11. & 14. & VIII. Ethic. cap. 11.) Sic ergo humana natura in Christo fuit instrumentum Divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem.

Ad tertium dicendum, quod ipsa potentia voluntatis est naturalis, & consequitur naturam ex necessitate; sed motus, vel actus hujus potentie, qui etiam voluntas dicitur, quandoque quidem est naturalis, & necessarius; puta respectu felicitatis: quandoque autem ex libero arbitrio rationis proveniens, & non necessarius, neque naturalis, sicut patet ex his quæ in prima parte dicta sunt (quæst. LXXXI. art. 2. & 1. 2. quæst. vi.